...s Episc. Laodicensis

...ora publici doloris

ARA
PVBLICI DOLORIS
IN FVNERE
Reuerend^mi. ac Perillustris.
D. THOMÆ OBORSKI
Episc. Laod. Suffraganei & Canonici Crac. &c.

Inter Parentalia Sacra
Et solennes Humationis cerimonias

EXCITATA

Studio Religiosæ in Mœcenatem voluntatis,
Ad commune consanguinei luctûs solatium

DICATA VERO

Perill^ri & Adm Rdo Dño

D. NICOLAO OBORSKI

Canonico Cracou. Nepoti eiusdem
Reuerendissimi Defuncti.

CRACOVIÆ Anno Domini 1645
Prid. Non. Iul.

Imprimatur

Jacobus Vstiensis S. Th & I. V. D. *librorum censor.*

ELysiæ gaudete domus. date serta per ARAS,
Festaque Sarmaticos hilarent altaria Diuos.
Felix & nimiùm felix, plorataque CRACO
Vmbra venit. longè Furiarum sibila, longè
Tergeminus custos penitùs via longa patescat
MANIBVS egregijs. Dabimus solatia dignis
Luctibus, æternisque vltro sacrabimus ARIS
Inferias ô MYSTA Tuas. Tu mæstus OBORSCI
Balsama, Tu messes Cilicumque, Arabumque propinquis
Merge rogis: Si quis PATRVI post funera sensus.

Papinius Statius. 3. Sylu.



CAsta verecundi dum stemmata cernis OBORSCI,
Quis neget Hæc animi LILIA nata domo?

PRÆFATIO

Ad perillustr. Dñum NICOLAVM OBORSKI Canonicum Cracoū. Executorem Testamenti.

HÆc publica doloris Ara Reuerēdissimi Patrui Tui integerrimis Manibus excitata, non nisi tuo nomini fuerat dedicanda Perillustris Domine. ad quem potissima tāta cladis ruina & dolor attinet parentalis; vt non immeritò vnus instar omniū ad hanc posthumæ recordationis Aram consistere & litare videaris. Ordiris tu quidem lugubre lacrymarum sacrificium, venientibus in partem lugendi & Collegis & amicis. Neq; tamen & frigida Musarum solatia Humanitatis tuæ expedies à conspectu, adeòq; patieris obortam doloris nubem quà Eloquentiæ, quà Pöeseos gemitu, ac suspirijs ventilari. Non potui tumultuantium lacrymarum impetum intra me tenere, quin erumperet: quē illud maximè acuit quòd diutius flere non liceat; cùm tenebras mæroris, sole suo effulgens Perillustris defunctus tuus sit discussurus. Ita quæ hodie in processu funebri sunt lacrymæ, postmodū velut in solitudine & situ iacebunt, posthumam gloriæ adoraturæ maiestatem, Patruum veneraturæ in Nepote. Nimirum in tuis moribus spirat extincti Patrui viua virtus. Ego interea in his Exequiarum lustis, non vt olim auida superstitionū antiquitas mensam feralem, sed Aram Publici Doloris erigo in trophæū. Tu, ad eam, luctûs pariter ac virtutū Mysta assistes litaturus. memor etiam Diuorum aras non tam thure quàm candore animi placatas consecrári. Vale.

ELOGIVM SEPVLCHRALE

Reuerend^mi^ & Perilluſt. D. THOMÆ OBORSKI Epiſc. Laod. Suffraganei Cracou̅.

I.

NOn careat Gloriæ Suffragio
Virtutum per omnia SVFFRAGATOR.
Veteris exemplum ſanctimoniæ,
Nouæ Forma,
Reuerend^mus^ D. THOMAS OBORSKI.
In ſortem Honorum genitus
Fortunam ipſam in inuidiam traxit,
Honores in admirationem pariter & amorem,
Omnibus par cùm eſſet Dignitatibus
Vnâ vſus eſt.
Sortitus animam non Dei minus capacē quàm laborū
Suffragari ſummis maluit.
Nimirum
Suffici altis curulibus non alius debebat
Niſi qui non egeret ſuffragio.

Omni-

Omnium virtutes priuatæ domûs limine conclusit;
Quas vt securiùs publico committeret
Foris custodem virtutum
Adhibuit verecundiam.
Multos ipsâ sui negligentiâ expoliuit
Ipsâ sui despicientiâ aspectabilis.
Idem
In mediâ parsimoniâ liberalis
Spartano terruit supercilio parasytos.
Luxum propè Lycurgicâ seueritate proscripsit,
Contentus
Si haberet quo locandos cælo sacculos obtegeret
Ne ad auram assentationis rumperentur.
Solam inferiorum despectionem erubuit,
Se quóque
Præesse non meminisset nisi alij recordarentur.
Quia in sua vitia non patebat
Alienis zelotes torquebatur.
Hâc vna mortalitatis noxâ, in nos peccauit
Quòd sibi suisque vixerit necdum satis.
Defuncti absentiam diutiùs lugeremus,
Nisi laudatæ CVNCTATORIS tarditati
Festinationẽ exsurgẽtis MARIÆ prætulisset,
Quam feliciter
In montana abeuntem secuturus postridie,
Et ipse ruinoso domicilio euocatur.

ELOGIVM II.

Opimam
Cœlo messem Iulius attulit,
Verùm & Cracouiæ orbitatem,
Suas illa iterum plangit clades.
Rata

Se in OBORSCI virtutibus parentare Stanislao.
Felices ter, & ampliùs
Quorum hic in argento & prodigijs
Ille in tot Sacerdotum centuriis à se afflatis
adhuc spirat.
Creator Athletarum
Cum lubrico Serpente congressurus
Vnctos & ipse inaugurat luctatores.
Flaminum religiosissimus
Castimoniæ ex integro Vectigalis
Continentiæ Vestali vmbram fecit.
Ita nullum pestilentis æui hausit virus
Inter Gentilitia tantummodò pastus Lilia.
His ille innutritus ausibus
Durum imposuit mortalitati onus,
Quam
Posse Angelicè viuere didicit à seipso.
Vel eatenus concolor Stanislao.
Præterquam, quòd
Alterum ensis, morbus alterum confecit minutatim;
Non facilè Totum
Nisi per partes aggrederetur Heroē prostraturus.
Dubium
Illinè Infula, an ipse infusæ fuerit ornamento?
Verè infulata victima
In cultros & funiculos caritatis incurrens,
Cui tota vita Sacrificium iuge erat.
Canditatus immortalitatis competitor
Quò plures vniûs compendio lucraretur vitas
Mortali semet exuit,
Nunquam vel apud Collegas in Honore
Aut in fastis Cathedralibus Curiæ
MORITVRVS.

ELO-

ELOGIVM III.

PLanè ſuo reſpondens nomini Thomas;
Quippe vbi
Cælites argenteis haſtis clam tentaret
Suis vix manibus & oculis, ne proderetur,
fidem habuit.
Virtutem Nomine magnifico dum velaret
Famam ipsâ deteſtatione in ſuas còëgit panegyres.
Contemni, ſolemnitatem & epulas arbitratus,
Ambitioni nefaſtas ſemper ferias promulgabat.
Nunquam ſplendidiori comitatu ſtipatus
Quàm cùm ſolus.
Sufficere nempe ratus
Si ſuam maieſtatem animo ſequeretur
Vbi corpore non poſſet.
Cæteros ad oſculum ſacræ manûs admittens
Ipſe pacis ſignum à tellure flagitabat.
Diœceſes proprijs luſtrauit impendijs,
Quaſi pro eo ipſo pretium ſolueret
Quòd ſibi liceret eſſe impunè Liberalem.
An religioſam duceret vitam
Sui voluit Contubernij teſtes eſſe Religioſos.
Nullus ei ab auro color
Niſi quem traxiſſet è vultibus Egenorum.
Ad naturæ vſq; negligentiam
Proijciebat veriùs, quàm dabat Beneficium,
Quo beatior fieret extra teſtes.
Voluntariâ duntaxat inopiâ opulentus;
Tantalum diceres inter aquas!
Soliùs Dei famem ex diuturno collectam
Ad Cænam vltimam reſeruauit.
Et mirabimur

 Si &

Si & huic nostro cedat in præmium præmiator?
Abyssus nisi abysso non impletur.
Thomas Hebræi Abyssus. Ne agoni quidem proximus Thomæ oblitus est,
Cùm non digitum modò sed & ora & oculos
Inferret in latus & vulnera
Cruci-Fixi;
Cuius ad aram condi voluit,
Vt vel sic cũ Rege à ligno regnante locuturus
Reginâ interprete vteretur.

S. Heduigi

PATRI
MVNIFICENTISSIMO
Religiosarum Familiarum
ODE I.

TAmen sepulchri tristibus occidit
Illatus Vmbris? Laodices Honor,
Vittatus Antistes? labatque
Grande Cracis columen Tiaræ?
Gembicianis addita Fascibus
Mitræque virtus. Luminis indiga
I nunc Timantheis adumbra
Fata notis; oculisque captam
Effinge mortem, sunt & inertibus
Non cæca Fatis tela; nec irriti
Arcus, & inconsulta nigræ
Vis animæ. speculatur altos
Cum plebe Reges, intima Curiæ
Censore passu limina permeat,
Terrisque, & euagata ponto
Prælia, multiplicatque casum.

Impu-

Impunè magnis vel penetralium
Iniqua templis. Testis Oborsciæ
Ruina cladis! testis illa
Funereo grauis Hora luctu!
Non Candor illum pectoris; aût sacri
Texit Pudoris grata seueritas
Non cara ceruix, non Verendum
Emeritæ senium Tiaræ.
Quò dona centum fusa canalibus?
Quò non auaræ densa pecuniæ
Procella cessit? quò laborum
Soliciti recidistis ausus?
Virtus Tiaram, Relligio Pedum,
Honos curulim, Lilia cûi Pudor
Mens casta Verbenas, odores
Integritas, pia Thura Candor,
Et tensa cælo nuper adorea
Tendebat ardor. Sortis at ô vices!
O sidus infausti Leonis!
O memores feritate Nonæ!

NÆNIA FVNEBRIS
IN
FVNERE
REVERENDISSIMI
ODE II.

NEscit seueris legibus innocens
Dolor teneri, sistat inertibus
Cursum querelis, qui modesto
Ad lachrymas volet ire vultu,

Et in-

Et incitatos margine palpebræ
Fluctus doloris temperet, hic licèt
Recti procellam, seû Honesti
Naufragium paueat, vel altum
Mæroris æquor. Non ego ludicræ
Artis Magister, viuida mortuis
Dem vela ventis, non amicæ
Per lacrymæ vada sicca pergent
Oborscianæ carbasa gloriæ.
Quanquam peracto dum TIBI constitit
Tranquilla portu nauis, vdos
Seruat adhuc memor vrna riuos;
Non quos beati littoris inuidus
Pirata mundus sparserit, & ratis
Damnum notârit, sed quieti
Oceanus tulerit doloris,
O docte magni nauita nominis,
Æternitatis nobilis arbiter,
Sublimis Oborsci! ô vetusti
Dulce decus, columenque Craci!
TE mœsta circûm marmora posthumis
Flebunt colossis, te pater Istula
Plorabit, & latè doloris
Flumineo ruet ore lymphas.

IN FVNERE
REVERENDISSIMI
DOMINI.
ODE III.

QVem sæpè casus præterit, inuenit
Quandoque. fatis credite parciùs

Exinde

Exinde mortales ſecundis
Nec nimium date vela ventis.
Mors & Virentem falce puertiam,
Nec non adultos demetit aureæ
Culmos ariſtæ, cumque canis
Miſcet iners violas liguſtris.
Commune fatum eſt, irreuocabilem
Periculoſi temporis aleam
Tractamus omnes, ſitque ſegnis
Hora licèt properamus ipſi.
Stat imminentis fixa neceſsitas
Lethi, nec vllus præcipientium
Errauit ad tumbas Sororum.
Indomiti manet vna fati
Sors, luctuoſis ſcilicet immori
Semel cupreſsis. labimur: & necem
Vrgente Fortunâ propinquos
Inſequitur noua pompa Manes.
Te quem frequentes nuper idoneo
Inaugurantem vidimus Ordine
Heroas, hem Myſtes eodem
Vidimus occubuiſſe telo
Iniurioſæ mortis. at inuidam
Te non tiaræ Præſulis, aût Sacri
Faſces, nec illuſtres Verendi
Pontificis tenuêre Mitræ.
Eant ſolutis flumina palpebris,
Gemant plateæ, tollite lugubres
Delubra cortinas, obortis
Obuiet & lachrymis & alto
Luctu dolenti Cracus ab aggere,
Ludornè? flauo prodijt Iſtula
Ab amne, terque denegati
Ingemuit prope tecta Patris,

At vi-

At viuis io, viuis adhuc iubar
Præſigne Craci! quin & ouantibus
Cinctus triumphis, perſonantes
Cælituum nouus hoſpes aulas
Reuiſis. Ad quæ gaudia te Pudor,
Et in citato pectoris eſſedo
Tranquilla præuexit Sacerdos
Relligio, poſitaſque ſubter
Calcare terras iuſsit! & aureus
Hinc Candor,illinc proxima veritas
Aſſedit, & matura circum
Te Pietas, ſed & innocentûm
Cohors ſororum. Te vocat hinc pudor
Hinc ſepta miti nube Modeſtia,
Expectat inconcuſſa virtus
Et meritis iubet ire ſtellis.
Tunc & clientis Regna Poloniæ
Et fata cernes; ſub pedibus graues
Curaſque terrarum videbis,
Et memoris penetrale Craci.